N 10-324 C. Perfetti

DE

CURANDIS INFLAMMATIONIBUS

EPITOME

PROF. SACHERO

FASCICULUS I.

BCS
VERR
A
34
Biblioteca Civica
Saluzzo

VERR. D. 34

N.° d'inventaire
1422

DE

CURANDIS INFLAMMATIONIBUS

EPITOME

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

HYACINTHO SACHERO

THERAPIÆ SPECIALIS ET CLINICES MEDICÆ

IN REGIO TAURINENSI ARCHIGYMNASIO

P. P.

Regii Morodochii et Civitatis pauperum Consultor — Scholae Hippocraticae Italicae Praefectus — Societatis Medico-Chirurgicae Taurinensis — Medicae Lugdunensis ac Genevensis — Technicae Parisiensis — R. Æconomicae et Agricolae Calaritanae etc. Sodalis.

BIBLIOTECA CIVICA
SALUZZO
XVIII. C. 13

VOLUMEN I.

TAURINI

EX TYPOGRAPHOEO MUSSANO

MDCCCXLV.

PROËMIUM

Quum de illa aegrotationum, quae internas corporis partes potissimum plectunt, provincia dicere, nobis sit demandatum, quod earum symptomata, ac signa sub oculis directe haudquaquam cadant, et saepenumero insidias clanculum moveant, arduum procul dubio nobis facessere negotium, facile intelligimus. Nihilominus post tot clinicorum, quibus ars nostra gloriatur, observata, et lucubrationes; post tot, quos diagnostica, ac therapeutica studia in hunc usque diem egere, progressus; postquam demum in aegros observandos, atque curandos septem lustrorum spatio non sine continua addiscendi, ac iuvandi cupiditate solerter incubuimus, spes animum recreat, nos posse, vel leviter utilis

aliquid vobis, Auditores humanissimi, tradere, et ea, qua decet, perspicuitate pathologiae specialis, sive medicinae theoretico-practicae praecepta, qua ad nos pertinet, parte fideli calamo, sincerisque verbis exponere. Morborum externorum sedulam contemplationem ad internos probe dignoscendos non parum conferre, haud inficiamur, etenim ab iis, quae sub sensibus manifestius cadunt, normam accipere, bonum est, eo vel magis quod leges, quae externarum partium vitam, atque functiones regunt, ab illis, quibus internarum aeconomia moderatur, minime abludant. Sed sive quod exquisitiori ut plurimum interna viscera fruantur sentiendi modo; sive quod eorum functiones pluris faciendae sint, utpotequae vel leviter perturbatae valetudini admodum officiant, vitamque in periculum crebro adducant; sive quod conspiratio, quae inter ista viget, et mutua amicitia sympathicas turbas, gravitatem nullo negotio mentientes, moveant; internarum affectionum studium, et rei momento parem notionem maximam certe in clinico perspica-

citatem exposcere putamus, qua, ut Hippocrates monuit, iste ex manifestis obscura, ac recondita considerare, et detegere valeat. Quae quum vera sint, vos vehementer hortamur, ut omni mentis contentione, ingeniiqne acie in ea paucula, quae vobis aperire conabimur, toti vos convertatis. Neque aliter suadere videtur argumenti, quod pertractandum aggredimur, dignitas; de inflammatione enim in genere, et in specie alloqui, statuimus, quae pathologorum pene omnium consensu princeps est morborum origo, ac altrix, cuius ergo studium opportunissimum esse, iam censuerat expertissimus Boissier de Sauvages eo ipso innixus, quod amplissimus sit istius generis malorum numerus, acuties, gravitas, atque frequentia. Dum autem phlogisticorum morborum heu nimis extenso dominio adstipulamur, ii non sumus, qui, non secus ac nonnullis praeplacet, illud ultro, quam par est, evehamus: non paucae dantur affectiones, in primis ex neurosium familia, a phlogosi omnino alienae; dantur viscerum hyperaemiae, aut haemormeses ab inflammationibus procul

dubio discriminandae, dantur postremo, ut de caeteris sileam, febres, sive pyrexiae, in quibus, ubi absit complicatio, vera inflammationis indicia desiderantur. Quare limitibus coërcendum esse inflammationum imperium, diurna et praeconceptae opinioni haud serviens observatio abunde demonstrat, et ipsamet istarum contemplatio firmabit.

CAPUT I.

De inflammatione in genere.

§ I.

De inflammatione, quam phlogosim, aut phlegmasiam quoque vocant, dicturi ab eius definitione, vel potius descriptione exordiemur: « quae corporis nostri pars prae-
» ter naturam intensius rubet, tumet, calet, tenditur,
» dolet, et molesta quadam pulsatione intus quasi per-
» tunditur, cuius functio vel turbatur, vel suspenditur,
» vel abnormis evadit, systematis sanguinei reactione,
» hoc est febri frequenter accita, et plus minus cito san-
» guinis crasi et immutata, inflammata dicitur ». Morbi huius complexi phaenomena, quorum omnium, ac singulorum conspiratio, saltem sensibus obvia, ad ipsum constituendum semper necessaria non videtur, ut qua fieri potest perspicuitate evolvamus, quomodo sese invicem excipiant, videndum. Sive Helmontiano spinae digito infixae exemplo utamur, sive, praevia systematis sanguinei hyperincitatione, pars aliqua iam antea praedisposita afficiatur, ob stimulum inassuetum nervorum sentientium extremitatibus illatum dolor saepe excitatur, sed aeconomiae animalis legum sub patrocinio, *ubi stimulus*, *ibi affluxus*, sanguinis circuitus in capillaribus pone incitationis sedem sollicitatur, unde rubra, ac tumens fit pars; rubor quidem plus, minusve purpureus est, vel ad violaceum non semper fausto cum

eventu vergens, alias rubro–flavescens etc. iuxta diversam phlogosis vim, sedem, diuturnitatem, et organi laborantis texturam: tumor vero vel mole magnus, pressioni renitens, in eodem loco fixus, ac circumscriptus *phlegmonosam* formam inflammationi tribuit; vel magis elatus, in sua extensione inaequalis, et sedem facile mutans *erysipelaceam* phlogosim refert. Ob alacriorem cruoris motum maior calorici fit evolutio, vividior thermogenesis, adauctaque in affecta parte temperies; quod calorici incrementum vel aegro tantum, vel exploranti quoque sensibile stimulum eo topice auget, ut ob hoc ipsum phlogosis continuo luxuriet (1); calor autem vel mitis, vel urens, acer, mordicans, aut ferventis liquidi sensum praebens, alias aequalis, aut inaequalis, continuus, aut fugax etc. A capillarium iniectione adorta tensio (cui fortasse localis erethismus, aut orgasmus, ob innervationis excessum exciti, sunt addendi) tumorem et constantem, et saepe crescentem servat, et dum morbosa capillarium repletio, quam activa fluxio continenter fovet, ac sustinet, solidarum cruoris partium, interdum et fluidarum roris ad instar per istorum poros transudationi favet, morbosis sive in parenchimatibus, sive in aliis textibus mutationibus, eorum texturam vix non semper laedentibus ansam praebet, unde emergunt illa varii generis producta partium volumen adaugentia: quod ubi contingit, inflammatae partis textus, fibrae, et nervi

(1) Apposite quidem Tommasini ait: « La flogosi è prodotta » dallo stimolo ed è produttrice di stimolo. » Reapse ubi balneis frigidis topice admotis caloricum, prout evolvitur, subtrahas, phlogosis minori cum vehementia crescit, interdum mitescit.

per ipsum distribuli non modo ob tensionem primario excitam, sed etiam processus phlogistici caussa eo distenduntur, atque distrahuntur, ut novus, priori dirior, exurgat dolor: porro quum incipiente phlogosi dolorem interdum desiderari, vel saltem, praesertim in textibus albis, aut partibus obtuse sentientibus levem esse, novum non sit, ita ut nonnullis in casibus *spinae infixae* locus tunc latere videatur, iis pathologis, qui dolorem tamquam primarium symptoma, et cetera provocantem phlogosis phaenomena habent, semper assentiendum esse, ambigimus, prae primis quod solo nervorum ganglionarium ministerio prae dolore sanguinis ad partem affluxum provocari posse, censemus (2), et intensior certe evadit dolor, quum affectae partis distensio urget, unde ab hac potior eius caussa eruenda sit: modos tamen pro diversa morbi sede varios admittit dolor, hinc nunc mitis, nunc vehemens, nunc pungens, aut gravativus, nunc lacerans, vel contundens, nunc acutus, aut obtusus, saepe et pulsatorius esse potest. Quodsi vel leviter perpendamus, partem quamvis vix ac phlogosi corripitur, organico-dynamicis subiacere mutationibus, functiones eius physiologicas, nutritionem nempe, et secretiones laedi debere, laesionem autem morbi gradui necessario respondere, iure concludemus. Ex eo quod capillaria san-

(2) « C'est avec beaucoup de raison que MM. Trousseau et Pidoux » démontrent l'erreur de ceux qui ont substitué le mot *dolor* » au mot *stimulus*, et qui ont fait dire à Hippocrate *ubi dolor* » *ibi fluxus*. Ils indiquent pour cela un fait péremptoire, c'est » qu'une neuralgie etc. » — Vide *Prélecons de pathologie expérimentale par E. Fréd. Dubois d'Amiens, p.* 72-73.

guinea, quae ad inflammatam partem spectant, primario plectantur, ratio emergit, cur ob nexus organici leges totum systema sanguineum plus minus cito, vario tamen gradu alias explanando, etiam afficiatur, febrisque adoriatur. Tandem fibrinae liberae in sanguine proportio ob phlogosim certe crescit, augetur eodem tempore solidorum, et sanguinis *plaustaxia*, necnon huius ad coëundum tarditas (3), ut ex hac postrema phlogosis gradum metiri datum sit, interea dum fibrinae excessus, ac facilis transudatio plerisque huius consectariis, alio loco fuse prosequendis, originem praebent. Quae quidem omnia facilius evolventur, postquam morbi aethiologia tibi erit comperta.

§ II.

Praedisponentibus inflammationis caussis accensentur temperamentum sanguineum, ac biliosum, aetas florida, athletica constitutio, sensilitas, necnon mobilitas maximae, victus valde nutriens, aut calefaciens, unde sanguinis crasis ob globulorum copiam actuosior, et status plethoricus, vitae genus activum, vel nimis sedentarium, hyems aut ver, climata frigida, loca celsiora, vel aquilonis flatibus obnoxia, radiorum solis actio, atmosphaerae faciles vicissitudines, artes omnes, in quibus modo totum corpus, modo pars aliqua vehe-

(3) Vide *Sunto intorno alla patologia del sangue*, quem in Diario scientiarum medicarum Taurinensi nosmetipsi excudi curavimus, mense julio 1844, necnon Prolegomena in praxim medicam § 71 et seq.

menter et diu exercetur, aut stimuli alicuius diuturna actio artifices vexat, habitus corporis, quos morbosos vocant, puta cephalicus, pectoralis, arthriticus, cardiacus, similia, phlogoses praegressae, anatomica partium textura, ob quam partes sanguineis vasis ditiores ad phlogosim procliviores sint; hinc membranae mucosae et serosae prae fibrosis, pulmones prae cerebro, arteriae et venae prae lymphaticis etc., potius ad phlogosim tendunt.

§ III.

Quae generatim inflammationi occasionem dant, caussae sunt repentina nec continua frigoris, tum caloris immodici actio; dapes vel per se, vel ob aromata nimium incitantes; vini et alcoholicorum abusus; vehementiora corporis exercitia ob artes potissimum, quae exercentur; animi motus incitantes, aut terrorem subsequuta reactio: laesiones traumaticae; irritantia chemica aut mechanica in corpus, eiusve partes agentia; venena acria; calculi tum biliares tum urinarii; humores nonnulli, uti bilis, sanguis etc., extra propria receptacula, vel vasa effusi: habituales haemorrhagiae silentes: varii generis profluvia extemplo suspensa: exanthemata, aut impetigines retropulsa; contagia, aut virus; labes ipsae haereditariae, sive cachexiae scrophulosa, tubercularis, etc. quae et corpus, ut diximus (§ praec.), praedisponunt, et phlogosim nisi primario, saltem secundario gignere valent; globulorum in sanguine immodica proportio, unde plethora; tandem congestio seu hyperaemia.

§ IV.

Ex hac caussarum recensione iam elucescit, plerasque ex istis communes producere effectus, alias humoris transpirabilis cutanei imminutionem, ac retentionem adiungere, unde *rheumaticarum* nomen sibi vindicent: nonnullas demum peculiarem, et privam actionem, quam *specificam* vocant exercere, quod ad contagia, virus, etc. speciatim spectat: hinc inflammationis a caussis deducta partitio in *simplicem*, *rheumaticam*, atque *specificam*, quae sane distinctio quanti sit momenti, pronum erit demonstrare, ubi animadvertamus, plures resolutionis modos primas agnoscere, ac promptiorem plerumque curationem admittere; alteras cutis functionum instaurationem, ac retenti humoris eliminationem, ut resolvantur, exposcere : postremas demum contagii, aut virus, e quo producuntur, e corpore expulsionem, utplurimum alicuius exantematis gratia, vel per apta remedia destructionem sive *neutralizationem* (sit venia verbo) exquirere, et periodos praeseferre absolute necessarias. Utrum vero in exanthematibus, aut a viru quodam adortis morbis phlogosis sit reapse primaria, aut potius secundaria, vel accessoria, tuto statuere nequimus: quovis tamen in casu phlogoses, quae a caussa specifica sustinentur, vel comitantur, specificarum nomen iure merentur.

§ V.

Sive caussas, e quibus producitur, sive eius phaenomena spectemus, idiopathica, seu localis, quum adoritur,

semper est inflammatio; vix ac autem sedem suam in aliqua figit parte, vel diu inter localitatis limites circumscribitur sympathica tantum movens pathemata, vel plus minus cito ad systemata, in primis ad sanguineum *irradiatur*, aut *diffunditur*: irradiari dicimus, quando cordis vasorumque motus accelerantur, et reactio excitatur, quam *angio-cardiacam* nos compellamus, hoc est febris symptomatica quae topicae affectionis vices sequitur, eaque mitescente mitescit, cessante cessat, intereadum processus pathologicus sedem non mutat. E contra ubi diffusio locum obtinuit, illud, quod secundario, sive diffusae phlogosis caussa afficitur, systema, vel eius centrum symptomata offert propria, eoque manifesta, ut conditionem pathologicam illuc translatam esse, deducas; quapropter, ubi diffusio fiat ad vasa, et ad cor, angioitis vel angio-carditis; ubi ad centra nervosa, modo encephalitis modo meningitis encephalica, aut myelitis adoriri, consuescunt: diffusionem vero contigisse, nullo negotio confirmabit clinicus quivis pulsuum organicorum gnarus, quippe ceteris diffusionis sive successionis morbosae argumentis organicum pulsus characterem adiunget. Illud autem observatione constat, modo allatas, quas phlogosis promovet, morbosas vices inflammatae partis tum nervorum, tum vasorum divitiei, tum eius in aeconomia animali momento, tum vario morbi gradui respondere. Quae phlogosis incessum et adiuncta considerandi ratio in praxi opportunissima, quam propterea decem et octo abhinc annis auditoribus nostris proponebamus (4), a

(4) Asserti veritas patebit, ubi medicinae teoretico-practicae tractatum, quem in Sassaritana Universitate praelegebam anno

clarissimi Borsieri placitis vix quicquam abludit scribentis: » hic porro stimulus (inflammationis procreator) si peculiarem partem neque cum aliis valde consentientem » irritet, nec ipse vehemens sit, nec diu perseveret, eam » quidem inflammat, non tamen febrim movet; rarum » enim non est, inflammationem sine febri existere. At » ubi stimulus sive irritans principium partes exquisito » sensu praeditas, facileque consentientes diu, aut vehe- » menter exagitat, facile ad alias quoque tum proximas, » tum dissitas, nervorum consensione, quod verisimilius » videtur, vel vasorum communicatione, ita suam vim, » quin e loco dimoveatur, producit, ut cor ipsum ad » crebriores, validioresque contractiones sollicitetur, et » febris oriatur frequentissima inflammationis aut comes » aut pedissequa. Interdum tamen istiusmodi stimulus » non tantnm parti alicui peculiari insidet, verum etiam » cum universo sanguine communicatus, aut per totum » pene corpus diffusus omnia vasa et cor praesertim » afficit (5). » Haec autem nostra cum expertissimo viro cogitandi similitudo vos, Audit. humanissimi, allicere debet, ut illam fidenter sequamini. Interdum nihilominus contingere potest, ut ob diffusiorem inflammationis fomitem, aut ob causarum connubium, qui per se febrim excitare valent, isthaec reapse moveatur; aut etiam aliunde genita inflammationem praecedat, et comitetur, quo postremo in casu partem, vel viscus illud inflammatione

1827-28, consulas, quem idcirco eiusdem universitatis bibliotecae manuscriptum committebamus.

(5) Vide eiusdem de inflammatione Commentar. in institution. medicin. practic. Vol. I, § XXXIX.

corripi videbimus, quae ad illam magis proclive est: e quibus omnibus ergo elucet febrim modo phlogosi succedere, modo illam comitari, modo quoque illam praecedere posse.

§ VI.

Sed dantur status quidam morbosi nunc in hac, nunc in illa parte conspiciendi, qui symptomatibus insigniuntur cum phlogosis illis quodammodo affinibus, etiamsi ab hac reapse differant, quemadmodum ex singulorum recensione apparebit: sunt autem *erethismus nervosus*, *orgasmus*, *congestio*, *et irritatio*. Aucta praetermodum alicuius portionis nervei systematis sentientis vi, seu efficacia, ob quam exquisitior, ac morbosa exurgat sensilitas, a consuetis etiam stimulis pars quaevis ideo sensibilior facta proprie functionis repentinam, ac fugacem perturbationem experitur: status hicce morbosus *erethismus nervosus* audit, eumque *neurocinesim*, hoc est mobilitatem nervosam vocavit Buffalini. Ei favent constitutio nervosa, sive nervei systematis praepollentia, unde acutior sentiendi ratio, nimiaque mobilitas adoriantur cum quadam nervorum erectilitate, et modo in hac, modo in illa parte stimulorum impatientia, pruritu, vellicationis sensu, ipsomet dolore, aut spasmo (6), aucto et interdum prae febri sanguineorum motu: homines sensibiliores, literati, foeminae delicatulae, necnon puellae

(6) Spasmodici motus, qui erethismum nervosum in caussam habent, reflexionis nervosae gratia explanantur.

vitam mollem, sedentariam agentes, aut animi motibus crebro exagitatae erethismo nervoso potissimum patent qui vel limites suos non transgreditur, vel aliis sibi adiunctis elementis, in irritationem, aut inflammationem nonnunquam commutatur, imo saepenumero illas praecedit vel comitatur, quin tamen cum istis confundi patiatur, etenim, praeter febris absentiam, acutior iuxta nervorum tractum et distributionem sensus, frequens dolor, aliaeve nervosae turbae, praesertim vero inconstans istorum phaenomenorum apparitio, subita sub nervorum affectorum compressione, aut sedantium remediorum usu cessatio, vel periodicus recursus discernunt. Modo cerebrum tenens erethismus tum sensuum, tum motuum voluntariorum generalium et specialium, tum fortasse functionum mentalium aberratione (7) manifestatur (8); modo medullam spinalem attingens tactus aut musculorum motus tam trunci, quam extremorum perturbat; modo nervos sentientes singillatim corripiens multiformes promovet neuralgias.

(7) Non omnes maniacos a cerebritide, aut meningitide encephalica reapse affici, probabile est; in pluribus e contra erethismus nerveus, cui vasorum sanguineorum orgasmus accedat, tot aberrationum mentalium scaenas ludere videtur; quod ubi verum sit, huiusmodi mentecaptos ab iteratis venae sectionibus damnum potius, quam utilitatem referre debere, quis facile videt.

(8) Caveas ne erethismum cerebralem morbosum cum illo vis sensoriae impetu confundas, de quo loquitur Testa *(Delle azioni e riazioni organiche, pag. 24)*, cui tot insignes poëtae, tot pictores, tot musici, aliique in hac vel illa arte excellentes eximia facinora sua debuere.

§ VII.

Non solum sensilitas modos interdum excedit, unde erethismus nervosus morbose insurgat, verum et irritabilitas, in primis cordis et vasorum sanguineorum luxuriare potest, e qua partium nonnullarum prodeat turgescentia quam *orgasmum* vocitant, etiamsi fortasse aptius *turgor vitalis praeternaturalis* esset dicendus: turgor enim, qui et vigente sanitate, et morboso in statu excitari potest, tradente Canaveri nostro, « proprietas est sui generis, » per quam fibra elungatur, expanditur, explicatur, » humoribusque recipiendis aptior evadit; haec distinctio » (ait ille) tanti momenti est ut sine ea nec genuina » haberi inflammationis aethiologia, nec orgasmus par- » tium concipi, aut uteri gravidi mutationes, aut plu- » rium morborum phaenomena explicari valeant. Per » morbos nulla fere pars est, quae non sit huic affectioni » idonea, ut inflammationis historia potissimum osten- » dit » Ad turgoris essentiam quod attinet « unum fere » est (subdit laudatus auctor) quod certe novimus, hunc » nempe fibrae statum nervosa actione promoveri, susti- » nerique, ea autem cessante tolli (9). » E qua sane eximii praeceptoris sententia, cum Hebenstrein illa propemodum conveniente, discrimen, quod inter turgorem vitalem morbosum, qui orgasmo affinis videtur, et inflammationem intercedit, liquido patet, etiamsi reticendum

(9) Vide Francisci Canaveri *De vitalitatis oeconomia*, pag. 9 et seq.

non sit, orgasmum, utpote qui ab aucta capillarium vi, a statu plethorico, necnon a maiori sanguinis plasticitate saepe promoveatur, atque fulciatur, ad hyperaemiam, ad ipsam phlogosim vice plus unica viam sternere.

§ VIII.

Praeter orgasmum, de quo hucusque, aliam phaenomenorum tum congestionis, tum aliorum bene multorum explanationem plerique non incelebres pathologi proposuere, quam a *fluxione activa* sive *motu fluxionario* derivant: Stiegliz, Doellinger, Kaltenbrunner, Bordeu, Lordat, Gendrin, Andral, Dubois d'Amiens prae ceteris illum in statu sive physiologico, sive pathologico crebro adnotari tuentur: varia tamen ratione explicant; nam vel a sola cordis actione (Bordeu, Lordat, etc.), vel a quodam motu spontaneo globulorum sanguinis (Doellinger, Kaltenbrunner, etc.), vel a vitali capillarium vasorum contractione (Hastings, Gendrin etc.) deducunt; Andral vero (10), et fortasse accomodatius, a stimulo parti cuivis admoto plures cruorosae fluxionis, seu hyperaemiae gradus promoveri posse, putat: in primo vasa contrahuntur, et circuitus sanguinis acceleratur, quasi a lege hydrodynamica vasorum decrescentium phaenomenon regeretur; in altero vasa iam dilatantur, sanguinis circuitus retardatur, istius globuli ad sese invicem accedunt, et ad cöeundum proclivitatem sanguis ipse acquirit: in tertio gradu demum sanguinis stasis supervenit, partis color

(10) Vide *Précis d'Anatomie pathologique*, t. I, pag. 30-31.

fuscus, quandoque niger fit, quod a sanguine est, nam, Hunter et Andral ipso experientibus, quoties sanguinis circuitus in aliqua parte suspenditur, vel retardatur, arterioſum colorem humor iste amittit, venosumque adipiscitur, quod etiam contingit, quum sanguis e sauciata arteria in circumambiente cellulari textu expanditur, vel permeat; ita in apoplexiis tum cerebrali, tum pulmonari etc. stagnans, vel effusus cruor, etiamsi ex arteriarum capillaribus saepe manaverit, fuscum, nigrumve nanciscitur colorem, ad nutritionem partium, necnon ad circuitum ineptus evadit, et vix non semper partis vitam, praecedente gangraena, adimit, quin, ut nonnulli autumant, phlogosis praecedat, aut interveniat; quem cito fatalem exitum, hoc est gangraenam, chronicam hyperaemiam minime adducere, censet laudatus Andral: hinc varii exurgunt ipsius hyperaemiae effectus ab eius gradu, et diuturnitate metiendi. Sed et aliam fluxionem, *a tergo* ut vocant, admittunt plerique, nec injuria; quoties enim dynamicarum causarum ob influxum status hyperincitamenti in universo systemate sanguineo praecedit, tunc in parte praedisposita adoriri possunt fluxionis effectus, scilicet congestio, aut phlogosis ipsa.

§ IX.

Ex iis, quae modo attulimus demonstratum videtur, hyperaemiam Andral, quam Vitteread *haemostasim*, aliique congestionem dixere, nihil aliud sistere, quam uberiorem sanguinis quantitatem intra vasa alicuius organi inductam, quam illius functio, vasorumque nume-

rus, et magnitudo exposcunt: illam vero in *activam* et *passivam* diducendam esse, remur, prout nimirum ex aucta vasorum actione, vel ex hac ipsa infirmata, et ingruenti sanguini resistentiam non opponente procedit. Primam, scilicet activam congestionem duplici modo effingi, censemus: 1° ab aucta cordis, vasorumque maiorum vi sanguinem in minora vehementer, in venas impellente; hanc, quam Galli pathologi *coup de sang* vocant, *haemormesim* Brofferio noster, seu raptum sanguinis ad aliquam partem compellavit, eamque definiit « repentinam » alicuius organi functionis laesionem cum topico pleni- » tudinis, aut suffocationis sensu absque inflammationis, » et febris primariae notis, ad gangraenam tendentem, » ex praecipiti sanguinis in partem raptu: » cerebrum, oculi, medulla spinalis, pulmones, uterus, hepar, lien, etc., haemormesi subiacent: una autem pars prae alia potius afficitur, quo magis ad morbos, ad congestiones praedisposita vivit; eius caussae occasionales sunt calor vehemens nunc in partem aliquam, nunc in universum corpus agens, motus corporis violenti, animi pathemata incitantia praeprimis ira, nimia sanguinei systematis ob alcoholicorum abusum incitatio, vel aestus, consuetarum haemorrhagiarum feriatio, similia: sedem eius in venis reponimus, utpote quae ab irruente sanguine facilius dilatari patiantur, neque semper depleantur, aut reagant. 2° A sanguinis fluxione, quam topica caussa promovet, puta spina, ictus, contusio, ipse dolor stimuli vices gerens, capitis vel dorsi insolatio, topica calorici actio, nimium partis alicuius exercitium, aut orgasmus, aut sensilitas adaucta etc.: activa haec quoque est, eiusque

effectus, seu symptomata, nisi gradu, a modo descripta haemormesi differre, solent ; utraeque vero cum Andral hyperaemia (§ praec)., ut iam diximus, connivent, nisi quod iste clinicus sanguinis ad coëundum promptitudinem addiderit, quae iuxta nos ad phlogosim potius spectare videtur. Cetero in confesso est, sive hanc, sive illam, ubi valida sanguinei systematis reactio (quae in simplici congestione desideratur) superveniat, neque haemorrhagiae spontaneae gratia, vel arte morbosa subigatur, aufugiatque conditio, in phlogosim crebro commutari.

§ X.

Status alter morbosus modo neurocinesim, modo orgasmum, modo et ipsam lente factam hyperaemiam excipiens, *irritatio* est, quam Galli definiunt « excessum » incitationis, vel reactionis vitalis ex immodica, et » morbosa potentiarum, seu caussarum actione genitum » et partis affectae functioni plus minus officientem ; » haec autem, etiamsi angio-cardiacam reactionem, aliasve sympathicas turbas interdum acciere sit potis, periodos non habet necessarias, immo diu saepe protrahitur, quin ad systemata, ut de phlogosi (§ 5.) dictum est, reapse diffundatur, qnin partium, quas tenet, laedatur textura, vel alii succedant verae inflammationis effectus, cum qua tamen caussas, ipsamque originem saepe habet communes. Modo allati, quos nos, in hac re Gallos sequuti, irritationi tribuimus characteres illam facile discernuut : 1° ab irritatione, quam a potentiis irritantibus speciatim

prognatam dixere Guani, Rubini, Bondioli, aliique, et in motuum vitalium locali perturbatione, quae materiali sublata caussa utplurimum cessat, reposuere: 2° ab irritatione illa, quam, ut nostis, clar. conlega, et amicus noster Schina excogitavit, et quum simplex est, in fibrae animalis reagentis mutatione, ab incongrua potentiarum actione concitata stare tradit, intereadum illam in *congestitiam*, *haemorrhagicam*, *phlogisticam* et *organicam* successive commutari posse docet. Ingeniosam hanc eximii conlegae irritationem considerandi rationem nos quoque fortasse amplexati essemus, nisi aliorum bene multorum pathologorum circa status morbosos, qui vel inflammationem praecedunt, vel ei ansam dare queunt, opiniones tum exponendi, tum coram vobis, auditores humanissimi, interpretandi nos urgeret necessitas, ne haec qualiscumque sit circa phlogosim tractatio in omnibus manca videretur: illam autem hinc inde memorare, et cum aliis morbosis, et affinibus conditionibus comparare nobis erit solemne; ita ad irritationem *simplicem*, ni fallimur, reduci possunt erethismus nervosus (§ 6), et orgasmus (§ 7), ad *congestitiam* hyperaemia Andral (§ 8), necnon haemormesis Brofferio (§ 9), quarum distinctiones tamen ab istis auctoribus scite admissae opportuniores esse videntur ad singula earum phaenomena explananda, ne missa quidem a motu fluxionario (§ 8) haemorrhagiarum apparitio, cum qua irritatio *haemorrhagica* propemodum congruit. Illud autem conticere nequimus, irritationem, qualem Gallos pinxisse, mox dicebamus, et qualem nos metipsi, utpote cum factis congruentem admittendam esse, censuimus, in modo laudata Schinae partitione locum non invenire.

§ XI.

Quare ab eius sententia in hac re declinantes, irritationem, sive subphlogosim ab inflammatione seiungimus: 1° quod cursum, sive periodos necessarias, ut iam innuimus, isthaec non sequatur; 2° quod plerumque superficialis sit; 3° quod ablata causa, e qua producta fuit, in eodem statu et diu quidem pars remaneat, aut alias vel per se, vel aptis remediis extemplo resolvatur, et evanescat; 4° quod demum elementis dynamico-nerveo, et vasculari - hyperaemico tantum constet. Phlogosis e contra vix ac constituta est: 1° periodis propriis necessario utitur; 2° altius, ac pervicacius textus pervadit, ac tenet; 3° semotis etiam caussis incrementum ex vi propria sumit, etsi cum causis quamdam relationem servet; 4° sanguinis componentium proportionem, sive eius crasim perturbat (*altera*), fibrinae excessum in eodem gignens; 5° organico-vitales textuum conditiones, et processum vitalem ac nutritivum eo laedit, ut, nisi resolvatur, modo hae, modo illae lesiones, sive multiplices et varii generis exitus, ad quos indesinenter tendit, consequi possint. 6° Quemadmodum ex modo dictis patet, tria ei sunt elementa, quae iuxta Buffalini placitum una simul concurrunt, et coagmentantur, scilicet *neuro-pathicum*, nam prae nervoso plus minusve manifesto influxu nulla actio in vivente corpore perfici potest; *angio-pathicum*, utpote quod cordis vasorumque motibus in inflammatione necessario adauctis praesit, et *haemopathicum* ob sanguinis mutationes certo certius occurrentes, et nullo

negotio conspicuas in eodem e vena educto. 7° Tandem etiam quum resolvitur, partem, quam semel tenuit, ut iterum, levibusque de caussis phlogosi corripiatur, proclivem facit, ac linquit. E quibus omnibus phlogosim inter, et irritationem discrimina luce clarius apparent.

§ XII.

Iamvero sive haemormesis activae sive irritationis phaenomena consideremus, phlogosim exinde facile ingenerari, seu exurgere posse coniectabimus non secus atque a caussis vehementioribus illico forte accendi, haud inficiemur (11): quacumque vero ratione adoriatur phlogosis, activa semper est. Neque ex eo, quod homines cachectico habitu donatos, miseriis, ac pathematibus undequaque pressos ista quandoque aggrediatur, oppositum ingenium, uti Brown asseclae tuebantur, illam nancisci, credendum; etenim si quis nobiscum attendat, tales homines exquisitiori sensibilitate pollere, stimulosque in illis promptiores edere effectus, prae dubio concludet, non externos tantum, verum et internos naturales stimulos datis sub adiunctis sufficere ad inflammationes in hisce provocandas, praesertim quod ob facultates viventi corpori insitas reactio virium depressioni saepe succedat, et cruor laxiora ipsa vasa distendens, potis interdum sit phlogosim acciere. Neque phlogoses, quod diuturnae aut

(11) » Perraro (ait Schina op. cit.) nulla praegressa con-
» spicua vasorum congestione verum suboritur inflammationis
» indicium. »

chronicae sint, vel evadant (etiamsi ab acutis iure sint distinguendae) ab acutarum natura deflectere, tam Boheraave, Sydhenam, et Baglivi, quam nuperorum experientia probavit, dummodo ipsae a suis exitibus apte discernantur. Quapropter inflammationem hyposthenicam, sive passivam induere posse indolem, atque naturam, nos omnino denegamus, et quae exempla huic adscribere, nonnulli maluerunt, ad congestiones plerumque passivas potius referendas esse, cum Chiesa (12), Tommasini, Schina (13), aliisque plurimis tuemur. Quod autem ad eas phlogoses attinet, quas *malignum*, vel *gangraenosum* ingenium crebro induere, aiunt, id vel a praegressa dyscrasia, solido-humoralem compagem inficiente, vel a perniciosa, ac deleteria causarum natura, puta nosodochiorum, carcerum, navium, similiumque nocuis effluviis, aut mali moris puris absorptione, etc. deducendum erit; porro ex his omnibus causis organico-vitalis solidorum conditio, humorumque crasis eo perverti queunt, ut nervosa sic dicta in scaenam veniant symptomata, quae typhoideam formam interdum adipiscuntur, viribusque cito labefactatis ad inflammatae partis grangraenam facilis sternatur via; ad accuratam ergo inflammationis diagnosim instituendam causas potissimum, adiunctaque omnia solerter expendenda esse, liquido fluit, etiamsi, quibusvis sub adiunctis, primario passiva, seu hyposthenica nunquam

(12) Vide Institutiones medicinae theoretico - pract. vol. 1 pag. 180.

(13) Vid. op. cit. p. 162.

sit habenda. Alias contingere potest, quod ob affecta centra nervosa vires musculares frangantur, et ipsae nervorum sentientium, ac mentis functiones segnescant, intereadum morbi natura phlogistica reapse fuit, et est: caveas tunc, ne debilitatem hancce apparentem, sive virium oppressionem, aut suspensionem cum vera hyposthenia confundas; vituperandus sane error, in quem nonnulli magni subsellii clinici incidentes, typhi, aut febris typhoideae imperium nimis saepe et falso extendere voluere: quorum omnium veritatem fusius demonstrabit inflammationis caussae proximae sedula investigatio.

§ XIII.

Atqui sive mechanicus, sive chemicus stimulus in aliquam partem agat, sive dynamica quaevis abnormis conditio stimuli vices gerat, praeviis utplurimum hyperaemia, aut irritatione, quae inde adoritur phlogosis, ut modo demonstravimus, activa semper est, hinc primam eius, ac praecipuam conditionem in morbose adaucto partis incitamento iure ponimus, quod luxurians nervorum, in primis organicorum, actio sustinet, unde activior fiat vasorum efficientia, et sanguinis plasticitas ob id adaugeatur ita, ut in hisce pluribus morbosis conditionibus una simul confluentibus verae inflammationis caussa proxima sit quaerenda. Quae ubi vera sint, illorum pathologorum admitti nequeunt sententiae, qui illam vel in solo vasorum hyperincitamento ob stimuli nimietatem (Brown asseclae); vel in primaria, et activa vasorum dilatatione (Hunter);

vel in horum activa espansione, et subsequenti congestione a primario doloris stimulo provocatis (Pruss): vel in fluidorum, ac praesertim sanguinis activo in aliquam corporis partem affluxu, quem stimulus incongruus topice agens accivit (Andral, Billard) tantummodo quaerunt: etenim vasorum inflammatorum vis morbose adaucta, et sanguinis in illis nunc maior, nunc minor congestio *orgasmo*, aut *haemormesi*, aut *irritationi* quoque competunt interea dum alia plurima vigente inflammatione contingunt, uti sunt maior, et permanens solidorum tensio, fluidorum ad concrescendum proclivitas, nec non abnormium productionum facilis origo, quae in illis desiderantur. Quamobrem ad veritatem propius accessisse videtur Chiesa noster, cui Hildebrand arridebat opinio tradentis » caussam proximam inflammationis concipi posse in vita » arteriosa, et plastica cuiusdam partis citra modum in- » citatae cum nisu in abnormes productiones »; etiamsi ubi nostra nos non decipiat opinio, maiori perspicuitate eniteat Dzondi placitum, qui systema plasticum inter arteriarum fines, et venarum initia, hoc est in capillaribus arterioso-venosis (quae certe a sese invicem discernere, ut Cruveillher, et Rasori placuisset, anatomicorum nemini huc usque datum fuit), quibus secretionum, nutritionis, ac reproductionis officia tribuuntur, collocans, in huius abnormi actione, quam stimulus sollicitavit, caussam proximam inflammationis reposuit; qua ergo posita et modo dictas systematis plastici functiones in inflammata parte quam maxime perturbari, et tum in secretis humoribus mutationes, tum nova etiam, morbosaque producta cum secretione normali relationem pene semper habentia

in eadem adoriri debere, quisquis facile videt, non secus atque affectae partis capillaria (in quibus congestio, et obstructio praecesserant reactionem) semel, ac vehementer phlogosi correpta ob nexus, quos cum universo systemate sanguineo servant, nunc phaenomena morbosa ad hoc irradiare, eiusque motus secundario sollicitare, nunc processum ipsum phlogisticum ei transmittere posse, uti alias docuimus (§. 5.), intelligitur.

§ XIV.

Internam vasorum sanguineorum, ne capillaribus quidem exceptis superficiem ab humore continenter exhalante qui certe cum transeunte sanguine dein miscetur, perpolitam servari, physiologia docet (14): hinc ubi capillarium conditio ob phlogosim abnormis evadat, istius humoris secretio morbosis subiacebit vicibus non aliter ac in maioribus vasis, cordisque cavitatibus, quum sive primario, sive diffusionis gratia inflammantur, contingere solet: a veritate ergo haudquaquam abhorrere videtur, ab interna illa vasorum superficie (cui serosam plurimi, mucosam pauci, sui generis texturam alii tribuunt), incendio quum corripitur sat vehementi, fibrinam secerni, aut transudare, quemadmodum a serosis, et mucosis

(14) An ab interna membranula, quam tenuitatis causa vasorum arachnoideam vocant, et cui organicam texturam plerique denegant, an a supposita membrana, quod probabilius est, humoris huiusmodi exhalatio perficiatur, nostrum non est disquirere; nam admissa secretione, huius, inflammationis gratia, perturbationem, aut mutationem contingere posse, nemo inficiabitur unus.

membranis, phlogosis caussa quotidie prognatam videmus, quae quousque cum sanguine remixta per vasa circuit, liquida remanet, aut densior facta, et pseudo-membranas aemulans modo dictae vasorum superficiei, ut I. P. Frank se vidisse asserit, tenaciter adhaeret; in educto autem e vena sanguine plus minus lente corii sub specie seiungitur, et superiora petens coagulatur, quod postremum inter frequentiora, ac fere pathognomonica inflammationis phaenomena superius (§ 1.) recensuimus. Nec sine verisimilitudine sanguinis corium a morbosa vasorum secretione gigni suspicamur, nam 1° corium vel in proprio sero vel in aqua macerationi traditum in pseudo-membranas, ut ipse adnotaverat Morgagni (De sedibus et caussis morborum etc. epist. XXI, 29) saepe resolvitur, quae magnam alunt cum illis inflammatam pleuram tegentibus similitudinem (15): 2° Corium fibrina non secus ac pseudo-membranas constare, analysis chemica a Vauquelin, Thenard, Abbene, aliisque instituta evicit: 3° sanguis corio dives, dum e sauciata vena libere prosilit, versicolor est, quod sane probat, fibrinae liberae corium dein constituentis moleculas a sanguinis globulis, etiam dum hic humor circuit, veluti seiunctas esse, immo fortasse voluminosiores, etenim ubi venae sectio angusta sit, illae

(15) Amicus noster Puccinotti scite putat, hanc corii sanguinis in tot pseudo-membranas resolutionem praesertim locum obtinere quum *rheumatica* caussa praecesserit, hoc est humoris transpirabilis cutanei plus minus copiosa retentio; atqui cutis cum internis membranis quoad secretiones antagonismus pene constans est, hinc cur non solum in membranis proprie serosis secretio mutetur, verum et in vasorum illa, plausibilis coniectura suadet.

difficile exeunt: 4° sanguis in aqua receptus, si fibrinae proportio excedat, flosculos albumino-fibrinosos ostendit ab iis in sero ab aegrotis, ob serosarum phlogosim hydrope laborantibus, educto innatantibus vix abludentes: 5° corium coagulatione efficitur, posthinc crispatur, et membranosam tenacitatem adipiscitur: 6° cum cavitatum cordis, necnon narium, et uteri polypis (16) quoad naturam convenit, et eo vel magis cum illis concretionibus polyposis in cordis, et vasorum maiorum cavitate non semel repertis, de quibus alias (17) disseruimus: 7° an cum lotii in acutis sedimine erit comparandum? 8° Nostram demum sententiam fulcire videtur magna, quae adest inter fibrinosam transudationem, e qua, vigente acuta pneumonitide, albido-grisea conflatur pulmonis durities, et corium similitudo; profecto si capillaria vehementer inflammata in viscerum interstitiis, morbosae secretionis, vel transudationis gratia, fibrinam deponere valent, idem protinus in eorum cavitate contingere posse aequa ratio suggerit (18). Quare concludimus, hanc corii phlogistici naturam, et formationis modum explanandi rationem, quam octodecim abhinc annis publice tuemur, et serius a Giacomini prolatam vidimus, haud contemnenda probabilitate enitere.

(16) Hos sub epitelio gigni pathologi tradunt, quo eorum adhaerendi tenacitas explicatur.

(17) Vide Rendiconto Clinico–1844 pag. 179, not. 114.

(18) Vide quoque, quae alias, hoc est in *sunto intorno alla patologia del sangue* iam cit. circa hanc rem exposuimus.

§ XV.

Quum modo allata demonstrata esse, videantur, nullo negotio intelliges, cur in simplici congestione, ipsave haemormesi, qua vigente affectae partis capillaria tantum dilatantur, et hydraulica, seu mechanica potius quam dynamica phaenomena offerunt, ex eo quod ob quamdam virium oppressionem secretiones in iisdem fortasse suspendantur, corium in educto sanguine desideretur (quod sane in educto cruore discrimen haemormesim a phlogosi crebro seiungere, omnes clinici norunt); cur vix ac reactio adoritur, et phlogosis capillaria tenet, turbatis ob vitae virium luxuriem eorum functionibus, fibrinae incipiat morbosa secretio, coriumque iam ostendat cruor; cur eius in sanguine quantitas tum phlogosis vehementiae, tum capillarium in affecta parte divitiei respondere consuescat; cur eo magis illud exundet, quo promptior fuerit, et manifestior ad universum systema sanguineum topicae phlogosis diffusio (§ 5), citiusque vel angioitidis, vel angio-carditidis apparuerint symptomata, nam uberior esse debet fibrinae secretio, quo extensior secernentis organi superficies, neque, admissa, ut probare annisi sumus (§ praec.), in capillaribus fibrinae secretione, maioribus vasis, quae aeque ac illa vasculis propriis (*vasa vasorum* dicunt) ditari haud dubium est, eamdem facultatem denegari posse, credimus; cur demum, quoties synocha, seu systematis sanguinei irritatio (quae facile phlogisticum ingenium reapse nanciscitur) topicam

inflammationem praecedit, corium citius, et vix non illico in educto sanguine offendatur. Multiplices nihilominus corii varietates, ac vices, quas in vere phlogisticis morbis reperias, apta, interdum et nimia globulorum proportione comitari, alias ostendimus (19), quae proportio ubi desit, imo globulorum quantitas manca sit, corii praesentia longe diversas suggeret illationes (20).

§ XVI.

Hucusque exposita ubi paucis resumas, iure concludes: 1° Inflammationis phaenomena, sive symptomata (§ 1) probe considerata primarium, sive substantivum morbum ipsam constituere, plane demonstrant. 2° Spectatis caussis (§ 2, et 3) *simplex*, *rheumatica*, vel *specifica* illa (§ 4) dici potest. 3° Semel constituta vel localis diu manet, vel irradiatur, febrimque symptomaticam crebro movet, vel diffunditur (§ 5). 4° Alias acuta, alias lenta decurrens datas periodos necessario metitur. 5° Quovis in casu activa semper est (§ 12). 6° In parte, quam semel tenuit proclivitatem ad illam iterum suscipiendam, linquit. 7° Eius caussa proxima in abnormi capillarium arterioso-venosorum actione, nervorum praesertim ganglionarium sub patrocinio, est reponenda (§ 13). 8° Sanguinis crasim et mutat, fibrinae excessum sine, aut cum pauca globulorum imminutione (§ 14) producens. 9° Quoties

(19) Vide quae in praxeos medicae prolegomenis iam cit. circa sanguinis in morbis mutationes exposuimus § 72 *et* seq.

(20) Vide Prolegomena cit. et § cit. n° 9.

plethora inflammationis ingressum praecesserit, ipsamque comitetur, globulorum in sanguine excessus fibrinae excessui additur. 10. Ab ipsius phlogosis natura, et decurrendi ratione eruitur, morbum continuum illam esse, neque ullomodo intermittentiam admittere posse. 11. Ob haec omnia attributa differt ab erethismo nervoso, quem in exquisitiore sensilitate, partis functiones obiter tantum perturbante (§ 6): ab orgasmo, quem promovet vasorum irritabilitas extemplo luxurians, citoque aufugiens (§ 7): a congestione, hyperaemia, aut haemormesi, in qua sanguis plus minus repente ad aliquam partem rapit, vel alias passive congeritur (§ 9), non sine gangraenae periculo, absente tamen reactione angio-cardiaca, sive febri; postremo ab irritatione, quae longe levior est, periodos non agnoscit, citius resolvitur, et, quod magis refert, neque sanguinis crasim, neque organicas textuum conditiones mutat, aut pervertit (§ 10).

§ XVII.

Praetereunda interim non erit praecipuarum phlogosis differentiarum recensio: profecto vel *externa* est, partes nempe occupans, quae sub oculos cadunt; vel viscera in cavitatibus clausa, eorum involucra, necnon varii generis textus, qui inspectioni sese subripiunt, corripiens, *interna*. Alias *acuta* dicitur, quum a vehementibus causis adorta, nobiliora viscera, aut partes sensilitate, ac irritabilitate divites aggrediens, gravibus insignitur symptomatibus, cursumque habet celerem, hoc est prompte ad exitus suos properat; alias *lenta*, quando viscera

obtuse sentientia tenens, lento gressu procedit; postrema haec vel neglecta, vel ob proprium ingenium proterva *chronicae* nanciscitur nomen, et characteres. Nunc *erysipelacea*, nunc *phlegmonosa* se praebet; illa sive cutim, sive internas invadat superficies, tumorem exhibet parum elatum, late diffusum, ambitu inaequalem, coloris rubro-flavescentis, vel rosei, qui a pressione evanescit, hac sublata cito redituri, cui solemne est, sedem facile mutare, huc illuc migrare, atque ab externis ad internas partes, et vicissim quandoque inopinato sese transferre; *membranosam* quoque vocant; raro et fere nunquam haec in suppurationem transit; ubi externa est, aut cutis desquammatione, aut vesiculis sero plenis, dein exsiccatis terminatur; demum vel superficialis diu manet *erythematicae* nomine salutata, vel textum cellulare quasi pervadens *phlegmonoidea* dicitur, et maiorem gravitatem acquirit. In fastigium rotundum elevantur externi textus in *phlegmonosa*, tumor plerumque pulsat, circumscriptus est, pressionique renitens, stabilem habet in textu celluloso subcutaneo, vel in parenchymatibus sedem, rubro, interdum livescenti notatur colore, et nisi prompte resolvatur, plerosque affectae partis parum amicos exitus minitatur, puta suppurationem, duritiem, ipsamque gangraenam. Modo *manifesta* inflammatio symptomatibus, ac signis facile obviis patescit; modo obscuris, incertisque pathematibus comitata, et nonnisi ab attento clinico detegenda *latens*, *occulta*, vel *subdola* audit. Item *benigna*, et facilis resolutionis esse potest, aut *maligna*, quum nimirum aliqua labe corpus inficitur, et ad sinistrum finem crebro vergit. Praeter haec

vel *traumatica*, vel *primaria*, vel *secundaria*, idest a diffusione adorta; vel *idiopathica*, vel *sympathica*, vel *metastatica;* iterum aut *sporadica*, aut *endemica*, aut *epidemica;* modo *simplex* modo *complicata*, etc.; quae quidem differentiae per se ipsas dignoscuntur. Quod autem spectat ad *adhaesivam*, *suppurativam*, *scirrhosam*, *cancerosam*, *ulcerativam*, aut *gangraenosam* inter phlogosis ipsius exitus istas adscribendas potius esse censemus. Atqui quaevis sit inflammatio, organico-vitales in textibus, quos aggreditur, mutationes constanter inducit, ad hunc vel illum exitum necessario quoque properat; qua ratione ergo progrediatur, et quos exitus tandem praeparet, nunc venit dicendum.

§ XVIII.

Phlogosis semel accensa quaedam emetitur a natura veluti ei praefinita tempora *incrementum* videlicet, *statum* et *decrementum*, quorum singulorum mensura, si immutabiles nonnullarum e specificis periodos demas, plus minusve extendi potest, et ab affectionis gradu (21), visceris maiori, minorive momento, ac dignitate, aegri aetate, sexu, temperamento, similibusque non secus a therapeia moderari quodammodo patitur. Decurrentibus autem incremento, et statu, quae *cruditatis* stadia vocantur, phlogosis symptomata, sive successive augeantur,

(21) Membranarum vel serosarum, vel mucosarum phlogoses, Sprengelio adnotante, facilius, quam parenchimatum, glandularum, et viscerum illae resolvuntur. Vide eiusd. op. omn. T. 6, pag. 177.

sive stationaria videantur, diurnas, plerumque vespertinas, nocturnasve offerunt exasperationes, alternis diebus evidentiores, ut, nisi prava aut nimis activa methodo turbentur, dies critici, sive coctionis appareant (22), quorum favente patrocinio, vicissitudines illas in aegrotante corpore moliri videtur natura ad morbos iudicandos, et ad aequilibrium in oeconomia restituendum opportunas, quas *crisium* nomine (23) insigniunt. Quocirca resolvi dicuntur phlogoses, tum cum, natura vel arte iuvantibus, nunc revocatis minus sensibiliter secretionibus, atque excretionibus, hoc est *per lysim*, nunc *crisium* gratia feliciter absolvuntur, nulla remanente organica laesione praeter quamdam levem mixti organici, seu fibrarum mutationem, ob quam pars semel inflammata, fractis habitudinis legibus, ad phlogosim rursus suscipiendam prona evadit. Resolutionis spem injiciunt tum localium, tum sympathicorum, tum irradiationis symptomatum successiva imminutio, ac remissio, exasperationes de die in diem mitiores, et locales aerumnae pedetentim evanescentes: proximam portendunt illorum signorum apparitio, quae alias (24) critica diximus, et crises ipsae, necnon inde subsequens functionum partis affectae, et systematum consensum cum ipsa servantium normalitas restituta: e quo eruitur, in inflammationibus resolvendis vim naturae medicatricem magnam partem sibi arripere, eaque potissimum adiuvante, tum criticas

(22) Vide Prolegomena cit. § 82.
(23) L. cit. et § cit.
(24) Vide Prologomena cit. § 83, 84.

haemorrhagias occurrere, tum lympham inflammationis causa adeo mutatam, tum albuminam, aut fibrinam huc illuc morbose depositam absorptionis gratia in sanguinem reassumi, et sive per urinas subsidentes, sive per male olentes sudores, vel alia ratione e corpore expelli (25).

§ XIX.

Resolutioni favere sanguinis per naturales vias criticum, et modicum profluvium mox dictum est; alias incongrue vel in cavitatibus clausis, vel in viscerum interstitiis, vel in canalibus cruori haud assuetis modo e disruptis vasis, modo ex horum porositatibus prosiliens, effunditur sanguis, quae abnormis cruoris effusio non solum compressionem, aut fibrarum distractionem (ut

(25) Interdum contingit, ut dum aeger critico, et salutari perfunditur sudore vel propria, vel adstantium culpa frigoris actione sese exponat: suspenditur tunc, vel saltem extemplo imminuitur sudor, et humor iste moleculis, seu principiis cum animali oeconomia iamiam reluctantibus, qui per cutim excernebatur, dum in sanguine retinetur, cor, et vasa eo irritat, ut magnas, saepeque fatales turbas moveat. Eadem, nisi peiora, damna ignaros nonnullos, atque incautos clinicos attulisse, qui dum criticus fluebat sudor, sanguinem mittebant, vice plus unica nos metipsi vidimus, et maximo animi moerore perciti nimis sero luximus: etenim duplici ratione huiusmodi inopportunas venae sectiones nocere putamus; 1° quod aegrotantis vires nimium frangant, eumque ineptum reddant ad inceptam crisim sustinendam; 2° quod nocua illa principia retenta non solum in sanguineo systemate perturbationes adducant, verum et nervosa centra eo male afficiant, ut symptomata gravissima, quae typhoidea vocari solent, et fere semper mortem praecedunt, in scaenam prodeant. Heu nequissimus error!

in cerebro, aut medulla spinali) producit, verum etiam superficierum, quas cruor ipse tangit, irritationem, aut inflammationem promovere potest, unde fit, ut haemorrhagiae inter inflammationis sequelas, seu exitus saepe saepius infaustos interdum accenseantur, nam, nisi pauca sit effusi sanguinis quantitas, eaque cito absorbeatur, plurima mala supervenire possunt.

§ XX.

Inflammatae partes, ac potissimum membranae serosae, aut mucosae, quarum secretiones ob nimium vasorum, incipiente phlogosi turgorem vel imminuuntur, vel omnino feriantur, morbo progrediente, aut decidente, vasisque iamiam relaxatis uberiorem seri, aut muci quantitatem secernunt, quod *hypercriniam* vocant, quae idcirco nunc phlogosis character anatomicus, nunc eius sequela est: imo ubi de serosis, quae cavitates clausas efformant, sermo sit, copiosior haec, quam par est, inflammationis gratia, seri exhalatio, imminuta eodem tempore, vel suspensa absorptione, altera sistit ex multiplicibus hydropum caussis, non secus atque in cellulari textu morbose, ac eadem e causa exhalatum, collectum serum activo, et primario tum anasarcae, tum aedemati locum dat; in mucosis vero canalibus uberior muci solito fluidioris secretio huius generis profluviis ortum praebet. Atqui praeter serum, aut normalem mucum, acutiori potissimum vigente phlogosi, humor albuminoso-plasticus vel lympha coagulabilis ex istarum superficie saepe transudat, hinc pseudo-membranarum,

aut albuminosarum concretionum huc illuc in cranio, in pleuris, in pericardio, in peritoneo, etc. repertarum explanatur origo, e quibus gignuntur istarum membranarum adhaesiones in cadaveribus frequentissimae; sicuti e mucosa canalis aërei densiorem humorem bronchiorum ramos obruentem, vel pseudo-membranae sub forma tracheam, aut laryngem occludentem, vel in crassis intestinis membranosos quasi tubulos prognatos, et per anum deiectos, quovis in casu inflammationis soboles, vice plus unica vidimus; sicuti demum in cordis, ac vasorum cavitatibus, in utero, in naribus etc. fibrinosa, polyposa concrementa, varii generis tumores, aut vegetationes, similiaque exorta, et organicam texturam pro-pemodum nacta ex eodem fonte pullulasse, recordamur. Neque reticendum est in glandulis, aut visceribus alicui secretioni dicatis, hepate, renibus, etc. nunc phlogosis caussa proprii humoris secretionem sufflaminari, nunc uberiorem evadere, saepe vero admodum quoad componentia immutari, ut humor densior, spissiorque evadat, eiusdemque census alia contingere, possint.

§ XXI.

Sed et in parenchymatum interstitiis e capillaribus inflammatis modo solidior cruoris pars modico soluta sero, aut densiori sub forma, modo exundans in sanguine fibrina plus minus cito transudat, atque deponitur, unde *emollitio rubra*, aut *durities* nunc *hepatica*, nunc *grisea*, aut *alba*, utpote phlogosis sequelae, aut exitus considerandae: alias serum tantummodo effluit, e quo activa

viscerum aedemata si copiosius, mollities autem, si tenuissimi, et rosei roris ad instar emanat, exurgant. Quae singula, prima fronte inter se fortasse discriminantia, ab eadem causa, idest ab inflammatione tum gradu, tum ob textuum naturam diversimode modificata procreari posse, quisquis facile intelliget, aptiusque, quum de inflammationibus speciatim dictum erit, atque enucleate apparebit.

§ XXII.

Interim, dum acuta inflammatio, propriis cito adductis in textibus mutationibus, aut luxuriantibus productis, partium, viscerumque functionibus paucorum dierum spatio officere, easve praepedire valet; quoties lente procedit, diu tamen protrahitur, huc nutritio praeter modum adaucta membranas densiores, cor vero, hepar, aliave viscera crassiora, et voluminosiora aliquando facit (quod morbosum incrementum, sive *hypertrophia* an interdum a sola vasorum hyperactione, an a phlogosi semper producatur, non facile dictu); illuc eadem nutritione non quantitate, ut aiunt, sed et qualitate peccante, solidorum, et fluidorum compago tales perfert vicissitudines, ac perturbationes, ut varii generis *metamorphoses* partes ipsae lento incendio detentae experiantur, quî non solum nativos anatomicos characteres amittant, quemadmodum ubi coriaceam, cartillagineam, osseamve naturam nanciscuntur, verum etiam *adiposae*, *steatomatosae*, *encephaloideae*, *melanoticae*, etc. transformationes in iisdem occurrant.

Neque omnino absonum videtur, haecce omnia a phlogosi derivare, nam Gendrin observatis evictum fuit, lympham coagulabilem, et ad organa efficienda aptam sub inflammatione secretam gelatinosam, et amorpham primitus, in cellulosum tomentum, vasculosum dein, ac fibrosum, novamque texturam acquirens pedetentim, et successive converti, quae si ad normam contingant, normalia erunt inflammationis producta, secus modo dictae exurgent morbosae degenerationes. Utrum vero textus, partesque organicas, reapse normales, procreandi facultas, non aliter ac illam anormales producendi possidet, phlogosi sit tribuenda, non satis inter pathologos convenit. Nos ad arduam hanc litem dirimendam impares esse, fatemur, et meliora neque a praeconcepta opinione suffecta, vel deducta lumina dum expectamus, quid granulatio praestet, inferius non conticebimus. Illud interim inficiari nequit, quoties uno in viscere, vel aliqua eius portione hypertrophiae, vel aliarum istius generis mutationum phaenomena eminent, nutritionis defectum, vel activiorem, quam par est, dissimilationem in altero, eiusve portione utplurimum adnotari, unde *atrophia*, cui, ubi febris hectica accedat, *marasmum*, ac *tabem* subsequi, quotidie conspicimus: quare atrophiam ipsam a phlogosi quandoque indirecte promoveri, iure merito dictum est.

§ XXIII.

Ubi sub gravi quidem inflammatione resolutionis occasio aufugit, neque hucusque enumeratos, haud sem-

per optandos, exitus illa obtinuit, contra vero, localibus vigentibus symptomatibus, dolor alias paullisper cedit, alias ob maius partis affectae fastigium, maioremve tensionem exasperatur, febris, plerumque horis vesperotinis, praeviis levibus horripilationibus recrudescit, nocturno succedente sat copioso sudore, suppurationis adoritur sat aequa suspicio. Quid esset suppuratio nimis confuse noverant veteres; ad vitalem actionem, sive ad quemdam secretionis morbosae modum, quam, inflammatione minime iudicata, persistens vasorum sanguineorum incitatio sustinet, retulere I. P. Frank, Hunter, Hewson, Thompson, Delpech, Tommasini, Rasori, aliique plurimi. Qua ratione pyogenia, seu puris generatio locum habeat, et an in sanguine huius globuli praeexistant, an extra capillaria effingantur, disputatum est inter pathologos, neque litem componere sat facile opus. Illud interim pro certo habeas, multiplicibus secretum humorem subjici varietatibus, prout a diversa secernentis superficiei, aut organi natura, a vario inflammationis gradu, a caussis ipsam promoventibus, similibusque moderatur, e quo fit, ut modo densioris muci, modo gelatinae, modo lactiginosi humoris speciem referre, videatur, modo plus minusve perfectum pus observanti offerat. Non semper ergo constantes, ac certae secreti, et excreti puris qualitates: illud tamen bonae notae esse declarant color eius albidus, opacum, uniforme, ad instar pultis, vel cremori lactis simile esse, sui generis odore scatere, magis aqua grave esse etc. Ut autem a muco, cum quo saepe commixtum ab internis cavitatibus eiicitur, discernas, ammoniaca

liquida utaris, oportet, quae pus pervadit, solvit, et gelatinae ad instar diaphanum reddit, mucum contra cogit, densioremque facit. Cetero pus vel, prout secernitur, excretum est, vel dum conficitur una simul collectum manet, et vicinis partibus, aut cclluloso textu in fastigium, tumoremve elevatis, aut dilatatis, variae amplitudinis abscessus, sive saccos conficit, ac replet, quibus dein disruptis, et pure depletis, sacci, in quo humor continebatur, parietes, aut circumpositi textus ad se invicem accedere solent, et *adhaesivae*, ut aiunt, phlogosis gratia, simul ita cohaerent, ut, cicatrice, seu adhaesionis signis tantum remanentibus, partes iam distractae pene normalem statum iterum adipiscantur; secus, peioribus certe sub auspiciis, disrupti abscessus parietes in organum pus continuo secernens non sine magno virium dispendio commutantur; alias demum normalis partium continuitas, suppurationis tempore servata, temeratur, laeditur, et suppurationem excipit ulcus.

§ XXIV.

Est autem ulcus localis laesio textus alicuius, qui ob diuturnam, saepe mali moris, inflammationem substantiae deperditionem passus est. Vel suppurationi succedit ulcus, vel spontaneum ex quadam molecularum organicarum decompositione, quam vetusta labes occulte movit, aut e peculiari viru, aut dyscrasia pro-

ficiscitur (26); vel provido naturae molimine excitatur ad haeterogenea nonnulla, puta corpora extranea in textibus introducta expellenda; vel demum ad inutilia, aut perniciosa, uti sunt partes gangraena correptae etc., seiungenda, eliminanda exurgit. Si externum ulcus inspicias, margines eius modo duri, callosi, inaequales, laceri, retracti, modo quaquaversus excrescentiis fungosis, spongiosis sordidi, modo varicosis venis intertextis deturpati apparent, neque ad coalescendum apti sunt, nisi eorum conditio mutetur. Ulcus pro diversa, a qua producitur, caussa, praesertim quum specifica sit, differentias admittit, unde eius divisio in simplex, scorbuticum, scrophulosum, syphiliticum, etc. prout nempe in primo casu margines habet rubicundos, aequales, fundi color roseus, humorque secretus ad pus quodammodo accedere videtur; quum scorbutica labes corpus infecit, ulceris margines tumidiusculi, sublividi, fuscum sanguinem facile fundentes, fundus atri coloris, humor secretus seroso–cruentus, et crebra venosi sanguinis, saepe exitialia profluvia; lardacei sunt scrophulosi ulceris margines, humoris densi quasi sebacei secretio; callosi tandem, ac inaequales syphiliticorum illis, fundusque cuprei coloris est. E quibus singulorum characteribus ulceris externi non ardua erit diagnosis, quod tamen de interno dici nequit; imo cum suppuratione saepenumero quum hoc confunderetur, ab humoris ab ipso secreti, dein excreti examine aliquid lumi-

(26) Ab actuosiore, et morbosa absorptione interdum ulcus esse deducendum, tuebantur Hunter et Thompson, quod a fere omnibus pathologis denegatur.

nis efflagitare possumus; reapse humor, qui ex ulcere quovis generatim manat, quem *ichorem*, aut *saniem* nominant, liquidus, tenuior, nunc fluidus, virescens, nunc ater, nunc sub-albidus, nunc seroso-cruentus, at semper foetens est, partesque, quas tangit, crebro corrodit, quae quidem notae ab alias (§ praec.) puri assignatis qualitatibus diversae illum ab hoc postremo discernunt, eo vel magis quod pus legitimae, nec admodum provectae inflammationis productum esse soleat, sanies contra, aut ichor a malo phlogosis ingenio, et praevio semper ulceroso processu dimanet.

§ XXV.

Interea quavis de caussa adoriatur ulcus, vera sistit continui solutio, atque ut ad cicatricem iterum reducatur, necesse est, ut organicae, solidaeque moleculae antea destructae regenerentur, succrescant; quare quoties illud ad faustum vergit finem, *granulatio* supervenire consuescit, quae processus plausticus est, cuius ministerio, lymphae coagulabilis, et ad organicam texturam adipiscendam aptae secretione, textuum organicorum jacturae reparatur, et novae formationis corpusculorum ope, sive organicae vegetationis gratia, reproductio molitur; corpuscula autem huiusmodi organica esse, pene omnes pathologi consentiunt, et, quidquid contrarii autumarit Rasori, facilis sub attactu vel quicquam rudi sanguinis ex iisdem effluxus, sensilitas eorum exquisita, et vascularis textura oculis usurpanda, et quam iniectiones in cadaveribus confirmarunt, manifeste declarant. Quae

quidem mirabilia reproductionis phaenomena in externis partibus sive solo naturae nisu, sive artis auxilio promota dum non raro observamus, eo nos ducunt, ut in internis partibus interdum contingere et posse, iure coniectemus; nec aliter probare videntur in demortuorum pulmonibus raro, in intestinis post folliculorum ulcerationem frequenter repertae, cicatrices; vivente vero homine, interni visceris saniem fundentis functiones sensim sine sensu ad normam restitutae, ipsiusque mali moris profluvii imminutio, dein cessatio. Utinam possemus, ulceris viscus aliquod internum rodentis, vel interni vulneris forte contingentis cicatrici aptioribus, quam huc usque noscuntur, praesidiis favere; sed hác in re longe felicior chirurgia, quae modo recentis vulneris marginibus in mutuum contactum adductis, atque servatis (per *primam intentionem* vocant), modo, ubi aliqua textuum destructio contigerit, granulationis gratia (per *secundam intentionem*) ad cicatricem perducit; imo adhaesivo hocce processu ingeniose utitur sive ad partes nonnullas, quas ob congenitum vitium disiunctas reperit, vel infaustum accidens extemplo separavit, ad naturae normam coagmentandas, uti ex. gr. quum labium leporinum restituit, aut fortuito obtruncati digiti apicem sauciatae eius portioni iungit; sive ad alias, quas malignum ulcus, vel quaevis alia causa destruxerat, artificiose instaurandas, quemadmodum tot fausta *rhinoplasticae*, et *autoplasticae*, Dieffenbach duce, ab aliis plurimis non incelebribus viris prolata exempla probant.

§ XXVI.

Pessimus acutissimae, ac intensissimae phlogosis exitus gangraena est, incompleta quidem partis mors, quam plus minus cito excipit sphacelus, qui completam eius destructionem adducit : pars mortua a vivis circumdata, et ab iisdem seiuncta ubi in conspectum veniat, colorem exhibet nigrescentem, vel livescentem, et si limites distinctos habet, crustam offert atram, quam *escharam* vocant. Gangraenam in *humidam* et *siccam* tribuunt; illa, quae promptius invadit, et frequentius a phlogosi dimanat, partes, quas aggreditur, mollit, in putrilaginem cito convertit, et faetidissime olenti humore imbuit; haec quae lento incessu utplurimum utitur, et corporis extrema tantum corripere solet, exsuccas pedetentim reddit partes, lividas, corrugatas, duras, et mumiae ad instar frigidas ac insensiles, diuque in eodem statu, antequam sphacelo corripiantur, manentes. Ad gangraenam siccam quoque spectat ossium illa, quam *cariem*, aut necrosim compellare, consuescunt, et quae raro celeriter, crebro tardissimo progreditur gressu. Plaequae sunt gangrenae caussae: 1° Phlogosis, congestitium utplurimum, acutissimum, ac pessimum ingenium praeseferens: 2° arteriarum, venarumque inflammatio, e qua ob concretam, vel transudatam fibrinam istarum obturatio supervenit: 3° haemormesis gravissima, in primis passiva: 4° laceratio, vel alia violenta textuum laesio: 5° interceptus a compressione sanguinis, et humorum cursu: 6° ustio ab igne, vel causticis: 7° scor-

butus: 8° congelatio: 9° senium, vel alia spontanea caussa, uti arteriarum lithiasis, vel lumen valde imminutum, innervationis defectus, secalis cornuti, virus viperini, etc. malefica actio, similiaque: 10. tandem atmosphaera pravis exhalationibus obsita, nec renovata, aut, ut nonnulli volunt, peculiare gangraenosum contagium in confertis, angustis nosocomiis adortum, hinc inde communicatum, aut cadaverum putrefactorum ichoris absorptio, etc. unde a caussis gangraenae diversis varias eius species nonnulli deducere maluerint. Cetero ex his aliquae activae dici possunt, plures vero potius passivae sunt, nam inflammationem semper gangraenam praecedere, credendum non est. Quamcumque gangraenam suborientem indicant repentina localium symptomatum, et doloris, ubi aderat, cessatio, qui e contra in parte gangraenae finitima vividus saepe excitatur, summa virium prostratio, lypothimiae frequentes, motus convulsivi, sudores frigidi, faciei decompositio, pallor universalis, pulsus parvi, celerrimi, vacui, ac tandem deficientes; si vero pars gangraena correpta sub oculis cadat, praesertim si humida, et subito corripiens, color eius livescens, fuscus, cinereus, vel ater, odor faetidissimus, algor partis, ac demum incipiens putredo, unde sphacelus adoritur, solidorum decompositione dignoscendus.

§ XXVII.

Utrum iure inter inflammationis exitus accenseri debeat scirrhus inter pathologos disputatum est; ab hac lente progrediente sunt, qui deducant (Broussais, Bres-

chet, Ferrus, etc.); alii contra a morbosa secretione, quam peculiare internum vitium, seu diathesis promovet, scirrhi materiem in glandulis praesertim, aliisve partibus effundi ac concrescere, censent, itaut solido-humoralem ad scirrhosas concretiones praedispositionem admittere non renuant (Andral, Gendrin, Teallier, Tommasini, etc.) quae postrema opinio ideo nobis probabilior apparet, quod illam tum haereditaria scirrhi origo, tum totius saepe apparatus glandularis labes potissimum confirmare videantur. Materies autem ista in partibus, quas infecit, mechanico quodam modo inflammationem excitat, quae, quum sui generis sit, ad canceroma, vel cancrum illas facile disponit, et tristissimis sane sub auspiciis in illud fere semper finitur. Pars scirrhosa, in glandulis maxime, dura, gypsea, lapidea se praebet, et tumorem refert mamillatum, inaequalem, vix dolentem, cuius prima sedes in textu cellulari interlobulari, posthinc in parenchymate ipso est. Diu immutatus, et veluti stationarius interdum remanet scirrhus, sed temporis progressu, aut morbosa accedente opportunitate in *cancrum*, vel *carcinoma*, quae duo sunt eiusdem degenerationis gradus, convertitur. Hunc transitum nuntiant lancinantes dolores, qui in scirrhosa parte excitantur, et immaniter aegrum torquent, coloris ex rubro in lividum mutatio, vasa sanguinea varicosa, atra, materiei scirrhosae successiva emollitio, eiusque in encephaloideam, aut gelatinosam conversio, unde disruptis velamentis, quibus tumor tegebatur, sordidum ulcus appareat fundo ac marginibus duris, et inaequalibus notatum, quod idcirco *carcinomatosum* vocant, et quod sponte sensim

sine sensu dilatatur: hisce sub adiunctis ichor cancerosus, qui ab ulcere depluens, foetorem specificum praesefert, et ob acritatem partes, quas tangit corrodit, nec linteis ipsis parcit, vix non semper, saltem partim absorptus, sanguinem prius, universam posthinc aeconomiam ita inficit, ut cachexia cancerosa superveniente, gravissima adoriantur morbosa phaenomena, ne fatalibus quidem e disruptis venis iam pauperrimi cruoris profluviis exceptis: quae cuncta, ubi ad infelicis patientis vitam obtruncandam potis non sint, tristissimam scenam claudet gangraena, qua ingruente silent dilaniantes dolores, sed facies extemplo concidit, collabitur, paucisque vix transactis horis miserrimae vitae finis imponitur.

§ XXVIII.

Phlogosis prognosim paucis comprehensuri, resolutionem cunctis eius exitibus prae dubio anteponimus; eam vero laeti speramus, ac pollicemur, quoties phlogosis legitima, neque complicata est, quoties eius phases, sive stadia adamussim decurrunt, quoties vel natura, vel arte adiuvante faustae occurrunt, neque incompletae crises (§ 18), iisque peractis functionum ordo tam in parte primario affecta, quam in universo corpore instauratur, restituitur. — In cavitatibus clausis quae occurrunt haemorrhagiae, periculo non vacant. — Tum serosae collectiones, tum eiusdem generis profluvia, ubi diuturna sint, nec facile remediis cedant, male ominantur: membranarum adhaesiones verum, quas transudata fibrina huc illuc gignit, raro vitam minitantur. — Contrarie tumores, vegetationes, fibrinosa concrementa, similiaque

sive internis superficiebus, sive visceribus adnata, dum cavitates angustiores faciunt, dum nonnullorum viscerum necessarios motus impediunt, aut ex his alia inique comprimunt, exitialia evadere possunt.—Parenchymata densiora quum fiunt, sive solito molliora, sive duriora evadant, ad proprias functiones exercendas inepta quod videantur, ubi momentosae illae sint, aeconomiae officere, possunt: neque aliter dicendum erit de multifariis metamorphosibus, sive morbosis textuum mutationibus, quas adiposas, encephaloideas, melanoticas etc, vocant. — Hypertrophiae damna, ac sequelas eius gradus, viscerisque nobilitas metiuntur. — Suppuratio seu pyogenia legitimam phlogosim excipiens, dummodo honestos limites haud transgrediatur, parato puri exitus pateat, neque ad textuum continuitatis laesionem perveniens in ulcus commutetur, recuperandae salutis spem linquit: diu tamen producta vires nimium frangit, et ad tabem usque hominem perducit. — Quum granulationem, ac in cicatricem terminationem, sive arte sive natura ipsa faventibus, aut in externo ulcere conspicimus, aut in interno locum habuisse suspicamur, bene portendere, censemus; secus sinistra erit prognosis ubi pervicax ulceratio, nam solido-humoralem labem corpus infecisse, praenoscit.—Omnium exituum peior gangraena partes, quas attingit, sub oculis destruit; interne quum serpit, cito lethalis; attamen intra angustos limites circumscripta, dummodo gangraenosa portio secedat, et e corpore eiiciatur (ut in lobulari pulmonum gangraena Laënnec observavit, nosque ipsi vice plus unica vidimus), curationem admittere potest; secus si diffusa. Sicca extremi-

tates aggrediens, ubi aegroti vires satis constent, et pars gangraenosa sensim sine sensu a sanis separari patiatur, neque gangraenosi liquaminis absorptio fiat, spes sanationis adhuc remanet aliqua. — Scirrhi prognosis valde incerta; curationis neque aliis, neque nobis defuere exempla; frequentior tamen in immedicabile carcinoma conversio: hinc eius prognosis saepius infausta esse solet, eo vel magis quod diathesis, aut cachexia cancerosa omnem curandi spem adimere, consuescat.

§ XXIX.

Postquam inflammationis generatim spectatae aethiologiam, diagnosim, incedendi rationem, differentias, exitus, atque prognosim sumus prosequuti, remanet ut de eius therapeia paucis loquamur. Primum axioma est, causas, si fas est, removere, neque obstat, ut nonnulli aiunt, etiam amotis caussis phlogosim semel natam periodos suas percurrere, nam cum caussis illam relationes servare alias (§ 3) diximus, et caussae, in primis mechanicae, adhuc praesentes effectus aliquos semper prodere valent, morbique intensitatem adaugere. Atqui nonnulli dantur status morbosi, qui dum phlogosi affines sunt, ad illam crebro viam sternunt, illos ergo in primis, ubi adsint, necessum est, auferre. Erethismum nervosum, sive neurocinesim (§ 6) subigunt, ac tollunt quies, sedantia, ac nervina; sedantibus adnumerandum frigus, cuius utilitatem haud fallax experientia probavit; veniunt posthinc torpentia, quatenus nimiam sentiendi vim mitigare valeant, neque opiatis interdum parcen-

dum esse remur, dummodo cauta, et prudenti manu porrigantur, praesertim quum morbosa viget habitudo; raro sanguinem subducere convenit, nisi vere plethoricus status, erethismo nuptus illud imperet. —Eadem protinus praecepta orgasmo (§ 7) aptantur, dummodo crebior cruoris exundantia ipsum saepe complicans phlebotomiam non exposcat. — Uberiorem sanguinis ad hanc vel illam partem affluxum, unde hyperaemia, aut haemormesis activa (§ 9), quam spontanea haemorrhagia haud dissipat, promptae, et ad opus repetitae sanguinis missiones tam generales, quam locales moderantur, auferunt; frigida topice admota, aut revellentia utilia et erunt; generatim autem statui potest, quoties congestionis gravissima etiam symptomata (quae cum phlogosis illis facile confundi, possunt) venae sectiones iteratae eo cito fregere, ut affecti visceris functiones paucorum dierum, aut horarum spatio ad normam propemodum restituantur, hydraulicam perturbationem (e qua haemormesis), non veram phlogosim, ut nonnulli iactitant, devictam fuisse. —Ad saepe localem irritationem (§ 10) subigendam hyrudines respondenti externae regioni admotae, puta epigastrio in irritatione stomachali, abdomini in intestinorum illa, etc., alias cutim irritantia conducunt; interna vero remedia ex refrigerantibus, aut deprimentibus sint, modo eorum delectus, necnon exhibendi ratio morbi gradui respondeant: fortasse, ut irritationem, quae diu invaluit, radicitus removeas, magna tum in remediorum usu, quam in diaetetico regimine servando exquiritur perseverantia. Ad italorum irritatio-

nem quod attinet, quam caussae irritantis praesentia fovet, ubi hanc amovere poteris, facile curabis.

§ XXX.

Ad inflammationem quoties ventum est, tum affecti visceris momentum, atque nobilitas, tum morbi tempus, et gradus ante omnia dignoscenda sunt, ut therapeutica auxilia, quae opportuna erunt, cum hisce omnibus adiunctis aptam servent rationem; e quibus iam patet, vix posse, phlebotomiarum, quae princeps reapse sistunt praesidium, numerum, et cruoris subtrahendi quantitatem generalibus regulis subiici, atque *a priori* statui. Peritissimi in arte viri Swieten, Dehaën, Quarin, I. P. Frank, Borsieri, aliique, sexaginta, et quandoque septuaginta cruoris unciis tantum detractis, acutissimas phlogoses se devicisse, ingenue retulerunt: haec quidem prudens, ac laudabilis moderatio iis certe clinicis non arridet, qui omne curationis opus in solis venae sectionibus reponentes, eo aegrotos suos ita enervant, ut si forte e periculo evadant, anaemicorum ad instar debiles, et ad propria munia obeunda ineptos diu remaneant, aut, quod peius, serosis retentionibus pressi tandem fato cedant. Nos ab istorum vestigiis solerter declinantes, et priorum praeceptis, quae diutina experientia sancivit, libentius assentientes, ab aegri aetate, a temperamento, et viribus, ab habitudine, a vivendi genere, a morbi gradu, et stadio, a pulsus potissimum conditione, febrisque vehementia, necnon ab educti

cruoris (27) natura normam sumere, consuescimus, nunquam obliti, medicum esse naturae ministrum, non imperatorem, et eo usque tantummodo sanguinem mittendum esse, quo phlogosis sinistri exitus pertimescendi adhuc sunt: hinc quo acutior inflammatio, quo eius initium proximius, eo maiorem esse V. S. opportunitatem, ac tollerantiam, putamus, etiamsi in lenta istarum indicatio neque interdum desideretur, aut provecto morbo, ut scite adnotat iam laudatus I. P. Frank, non semper desint sanguinem mittendi occasiones. Inflammationis autem iam iam acutie fracta, quoties pulsus irritationem, ac duritiem amittens, criticos characteres assumere, videtur, et visceris affecti pathemata intensitate admodum imminuta sunt, a cruoris subductione sistendum, et prudenter expectandum esse, remur, ne salutares naturae motus turbentur, atque utiles avertantur crises, quarum apparitio veram resolutionem portendit.

§ XXXI.

Venae sectiones ergo phlogosium vel quicquam gravium initio cur conveniant, et quousque iterandae sint, modo docuimus: hae vero, vel pone inflammatam par-

(27) Corium in educto sanguine, alias parafibrinam inter phlogosis characteres iure enumeravimus: ab ipsis tamen, an iteranda sit venae sectio, criterium deducere, non sufficit; alia et concurrant adiuncta, imprimis sanguinis coagulabilitas, oportere, fuse alias, hoc est in clinices prolegomenis (§ 72 et 73) docuimus, neque hic repetendum esse, ducimus.

tem institutae, anatomici vasorum nexus gratia sanguinem ab illa (28) directe subtrahentes, incendio exordiente potissimum iuvant; vel in longinquis partibus revellendi causa adhibita, serius prosunt. Ab eiusdem lateris venis, quo inflammatum viscus absconditur, celebrandam esse cruoris missionem, docuerat Hippocrates, nos quoque, si fieri potest, ob lineam albam corpus veluti in binas partes dividentem suademus. Educti cruoris corium plurimos ad phlebotomiam iterandam invitat; nobis, ut alias diximus (§ praeced.) non sufficit: aliis signis additum indicationem roborat. Sunt qui nisi pluribus celebratis generalibus, ad topicas sanguinis subductiones non confugiunt; nos, qui tuemur, morbos saltem sub initio locales plerumque (29) esse, in contrariam vergimus sententiam, nam multiplici experientia freti constituendum esse, remur, ab hirudinibus, vel cucurbitulis excarificatis pone affectam partem admotis spinae effectus, ut aiunt, sive localem conditionem saepe imminui, imo auferri, et sic morbi diffusionem praepediri: quodsi phlogosis ad systema sanguineum diffusio locum iam obtinuit, hisce postremis neglectis generales pluris faciendas esse, non diffitemur: vel si caput diffusio minetur, pone illud idest e iugularibus cruor mittendus erit. Alias tum e venis maio-

(28) » Mitti vero sanguis debet, si morbus totius corporis » causa fit, ex brachio: si partis alicuius ex ea ipsa parte aut » certe quam proxima. » Vide Corn. Celsi De medicina lib. 11 cap. x, pag. 235.

(29) Vide praxeos medicae prolegomena iam cit. § 15.

ribus, tum iuxta partem phlogosi laborantem sanguis educendus.

§ XXXII.

At praeter sanguinis subductiones, quibus stimuli naturalis quantitas minuitur, et tum haemormesi, tum phlegmasiae occurrimus, alia subsidia medicina possidet, quorum ope datum est modo secretiones, excretionesque adaugere, uti sunt emetica, purgantia, diuretica, diapnoica, etc.; modo ulla sine humorum jactura vires vitae manifeste frangere, deprimere: postremorum censum intrant glacies, potusque glaciati, acida mineralia, et vegetabilia diluta, digitalis purpureae folia, nitrum, extracta virosa, acidum hydrocyanicum, similiaque, quae deprimentia, sive controstimulantia vocantur, et praeter dynamicam infringentem vim, electivam quoque in hoc, illudve systema, apparatum, vel viscus agendi facultatem possidere, credimus. Nostrum non est de singulis modo sermocinari; id unum addere, praestat, clinicum tuto postremis istis ad opus uti posse in phlogosium curatione, quoties conditio, sive status vasorum hyperaemicus vel ab ipsomet morbi initio desideratur, aut ob celebratas venae sectiones iam evanuit, saltem admodum imminutus fuit, in quo probe dignoscendo potior residet clinici perspicacia; etenim saepe saepius cruorem continuo subducere periculosum esset, intereadum vires adhuc luxuriantes mirum in modum moderantur deprimentia prudenti manu porrecta.

§ XXXIII.

Inter immediatos phlogosis effectus localis calorici incrementum primas tenet, qui uti novus stimulus in inflammatam partem agens, incendium nullo negotio adauget: stimulum hunc subducendi causa frigidae, aut glaciei internum usum, ac externam admotionem quotidie laudamus maximo aegrotantium cum lucro, qui a refrigerio quum grate leventur, naturali quodam instinctu ad frigida capessenda feruntur, et quousque iis indigent, usum eorum protrahunt: hinc solis frigidis, aut glaciatis potionibus inflammationes nisi gravissimas, saltem graves sublatas, et saepenumero, proficuo accito sudore, extemplo resolutas haud semel nos vidimus: quare clinicos illos, ut olim magnus Sydhenam et nos iure obiurgamus, qui vel culcitris aegros suos opprimentes, vel cubiculorum nimis elevantes temperiem, vel sudorificis crebro incitantibus, valdeque calefacientibus remediis utentes, sudorem non obtinent, contra vero sanguinei systematis motus iterum iterumque sollicitantes exuberantem in aegrotis aestum eo adaugent, ut taediosissimum milliare exanthema non sine discrimine symptomatice saepe promoveant.

§ XXXIV.

Neque emetica sive ad vomitus ciendos, ubi materialis caussa stomachum gravet, sive ut vires deprimant, absente quidem gastritide, omnino negligimus, etiamsi

et alvum movendi, et refrigerandi scopo blandis eccoproticis e vegetabilium fructibus, vel e salibus neutris delectis libentius in phlogosium cura utamur: duplex quippe istorum utilitas, foecibus nempe intestina exonerare, eorum, necnon renum secretiones sollicitare, quae emolumenta ab eiusdem generis clysteribus quandoque obtinemus. Hisce adiungas diaetam tenuem, hoc est non solum a stimulis quibuscumque, verum etiam ab alimentis abstinentia, saltem quousque acuties morbi viget: etenim quum eius vis fracta fuit, et ad resolutionem ventum est, regimen nutriens pedetentim admittere licet, ita tamen, ut vires, et sanguinis copia lente succrescant, illudque Hippocratis servetur *quod paullatim fit, naturae consentaneum*. Ad potiones quod attinet praeter gelidam, de qua superius, etiam aqua simplex vel emulsa, vel acidulata, aut saccharata affatim hausta in morbis phlogisticis concedenda erit. Neque demum reticendum, frigidiusculam potiusquam calidam atmosphaeram desiderare inflammatione correptos homines, non secus atque stragulis minime onerandos esse, volumus. Absit quoque lux vividior, absint fragores, et visitantium frequentia, absit demum mentis contentio, aut inopportuna loquacitas.

§ XXXV.

Remanet ut de revellentibus pauca dicamus; phlogosi acuta vigente, absonum esset effectus eosdem ab istis exposcere, quae a cruoris subductionibus, aut infringentibus directis expectandi potius sunt; fracto tamen eius

impetu, eaque iamiam provecta, quoties vel resolutionis prodroma signa adhuc desiderantur, vel ad inutiles saepe damnosas hyperaemias, secretionesve morbosas proclivitas timetur, aut in promptu iam est, ad revellentia confugendum esse, remur; plurium enim lustrorum nec infelix experientia nos docuit, ab iisdem apto tempore tum in partibus ab affecta distantibus, tum interdum propius admotis, maximum obtineri posse lucrum, quin damna, quae e nimio systematum fulgore percita nonnullorum mens falso excogitavit, reapse pertimescenda sint. Quodsi revellentia ad plerosque phlogosis exitus, vel sequelas avertendas, iuvant, eo vel magis utilia esse debent, tumcum exitus isti, puta serosae collectiones, albumino-fibrinosae transudationes, et viscerum ab hisce enata durities, secretiones ipsae tam mucosae, quam puriformes, aut purulentae, similia, propriis distincta signis se produnt. Quare eorum usum modo memoratis sub adiunctis enixe commendamus ita tamen, ut quae citius agunt in acutis morbis, quae lentius ac diutius, in lentis potissimum aptentur: sic vesicantia, sinapismata, pomata emetica etc. in primis, in alteris fonticuli, setacea, moxa, huiusque census alia potius conducunt.

§ XXXVI.

Quaesitum est, utrum in lentis inflammationibus eadem conveniant praesidia, ac in acutis laudavimus; non ardua responsio; phlogosis natura eadem, in gradu tantum discrimen; quapropter gradui therapeia accomodanda erit. Hinc maxima in educendo sanguine mode-

ratio necessaria ; topicae subductiones saepius antepo-nendae, et deprimentibus internis potius indulgendum est, pro opportunitate deligendis : revellentia, ut iam (§ 35) diximus, pluris facienda ; veniunt et balnea tum simplicia, tum diversimode medicata frigidiuscula, aut grate tepentia: venit potus aquarum mineralium vel acidularum, vel salinarum ex genere ; iuvat tandem vitae regimen crebro negativum, huiusque census alia, de quibus fuse, ubi de singulis inflammationibus sermo erit. Quae phlogoses sive acutae sint, sive lentae, specificam causam agnoscunt, vel complicatae sunt, methodo composita indigent, videlicet antiphlogistica primum, posthinc specificis adiuta remediis, ut maleficum virus, quod occultas interdum insidias struit, destruatur, aut e corpore expellatur.

§ XXXVII.

Ad phlogosis sequelas quod attinet, ubi agatur de morbosis secretionibus ac retentionibus, praeter modicas admodum sanguinis missiones, si phlogosis reliquiae perstent, praeter revellentia superius (§ 35) magni facta, variis sub adiunctis proderunt modo diuretica, modo diapnoica, modo purgantia, modo resolventia etc. eo praesertim scopo, ut absorptio vel directe, vel indirecte promoveatur, hisce enim remediis apto tempore exhibitis plures vidimus retentiones, ipsasque viscerum durities fauste resolutas. Viscerum hypertrophiam auferre, aut morbosas eorum metamorphoses destruere, nisi natura adiuvet, raro ars valet: generatim luxuriantem nutri-

tionem fraenant infringentia, et diaeta tenuis; caveas tamen, ne virium excipiat collapsus.

§ XXXVIII.

Ex illa, quam proposuimus (§ 23), suppurationis phaenomenorum explanatione liquido fluit, methodum ad illam moderandam aptam infirmantem esse debere, qua nimirum systematis sanguinei immodicae, et diuturnae reactioni fraenum iniiciatur, et puris secretio hac ratione cohibeatur: id praestare solent, raro venae sectiones, potius folia digitalis purpureae, extractum aconiti napelli, aut daturae stramonii, semina phellandrii aquatici, necnon secalis cornuti extractum gummosum: praeter haec revellentia illa commendantur, quae externas suppurationes diu ciere valent, uti fonticuli, setaceum, moxa, etc.

§ XXXIX.

Scirrhum curare difficillimum opus: ubi incipiens, a causa fortuita, puta contusione, ictu, similibusve adortum fuerit, neque a diathesi scirrhosa fotum, hirudines iuxta illum admotae, et octavo quoque die, vel saepius repetitae, quousque omnis auferatur vasorum localis turgescentia, addito interno, ac externo, cataplasmatis sub forma, conii maculati usu, lucrum maximum, nobis experientibus, obtulerunt, et nonnullis in casibus omnem paginam implevere. Alii hydrargiri, aut iodii praeparata tum extus illita, tum intus sive sola, sive

virosis extractis nupta, diuque porrecta laudant: neque specificorum hac in re a mulierculis, vel agyrtis praedicatorum adest inopia. Si vero diathesis scirrhosa iam vigeat, eo vel magis si de partium internarum scirrho, puta uteri, testium, similiumve sermo sit, eadem modo dicta praesidia iuvant quidem, raro vel nunquam curare valent: imo quum plures eiusdem generis partes iam infecit affectio, neque ustio, neque extirpatio convenit, nam facile dirus repullulat morbus. Quodsi ulcus cancerosum iam subierit, nulla spes remanet curationis, nisi forte partis ablatio subveniat, iis tantum in aegrotis, in quibus cachexiae cancerosae suspicio deest. Cetero ad immanes cancerosi ulceris cruciatus lenien-dos torpentia sive topice admota, sive intus porrecta, sive balneo adiecta, sive clysteribus soluta in usum vocari consuescunt: neque, quum cetera sedantia opem minime ferunt, opiatis parcendum erit, quae tamen tali cautela, ac prudenter adhibenda sunt, ut a minimis dosibus semper incipias, etiamsi haud inficiemur, istorum dosim sensim sine sensu adauctam interdum quam maxime evehi posse, ac impune perferri.

§ XL.

Eorum, qui acutas, lentasve phlegmasias passi sunt, ac fauste superarunt, convalescentia aptis consiliis regenda est. Revalescentis viscus, apparatus, aut systema, quod phlogosim passum est, ad novum incendium proclivitatem servare certum est: caussas ergo scrupulose iste vitet, et caveat, ne victu nimis nutrienti, aut

incitantibus quibusvis utens, solidorum vim praepropere adaugeat, vel sanguinis quantitatem nimis cito restauret: quare convalescentes a phlogisticis morbis paullatim refocillandos esse, ratio ipsa suadet: nonnisi viribus sat instauratis, et ad aequilibrium propemodum adductis lectum deserant, et pedetentim corpus exerceant. In genere autem, quoties in inflammationibus curandis methodus infringens ultra modum evecta non fuerit, haud longum erit convalescentiae tempus.

§ LXI.

Quae ad inflammationem generatim spectatam pertinent, contracto stilo exaratis, ad singularia nobis est descendendum; quo in perficiendo ita progrediemur, ut 1° de inflammationibus systematis sanguinei: 2° de illis systematis nervosi: 3° de illis apparatus respiratorii: 4° de illis apparatus digerentis: 5° de illis apparatus uropoietici: 6° de illis apparatus generatorii: 7° tandem de rheumatismo, et arthritide ordinatim dicamus. Favete, o optimi, nec vestra unquam desit utilia exposituro attentio.

Tom. 8. 3414